



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Jn Caput IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

## In Caput IV.



*Adriani Martyris*) Adrianus Martyr, cuius festum Ecclesia celebrat 8. Septemb. Forfan VValbeck est locus ille, de quo Ditm. lib. 6. *Monasterium in VVallebizi cum quatuor Ecclesiis, &c. incendio perit.* Fabric. lib. 2. Origin. Saxon. vocat VVallebicum. Martinus Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus. *Diui Adriani Martyris gladio, qui VValberga asseruabatur, se accinxit.* Bonfin. Dec. 2. lib. 1. de Henrico: *Cum sepe ante praelium Eucharistia muniret exercitum, Laurentium, Georgium, & Adrianum cum armato Angelo Diuos suam aciem praecessisse suspexit.* Idem habetur in compilatione Chronologica.

## In Caput IX.



*Nomine sancta*) Diploma hoc adscribit Auctor Othoni III. Imp. Sed necessario referri debet ad Othonem II. Imp. Nam conditor huius Diplomatis vocat genitricem seu matrem suam *Adelheidam*; at *Adelheida* fuit Mater Othonis II. vxor Othonis Magni; nam Othonem III. peperit Theophano, mulier Graeca. Martinus quoq; Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus diploma hoc Othoni I. tribuit.

*Caro nepoti nostro*) Cur Henricum nominat Nepotem? Diploma loquitur de Henrico II. huius nominis Bauariae Duce, patre Henrici sancti, qui fuit tertius Bauariae Dux Henricus indigitatus. Fuit autem Henricus I. patruelis Ottonis II. Imperatoris. Ex duobus quippe fratribus geniti fuere. Ille, ex Henrico primo Bauariae Duce: Hic, ex Otone Magno Imperatore. Nepotem ergo pro patruelle vsurpat. Porro Bambergam reliquit Henricus Pater filio Henrico, de quo haec historia.

*Nemklin Vraba*) Ita Codex Rebdorffensis. Apographu Bamberg. hic nihil opis tulit. Codex Donauerdanus. *Cum omnibus ad hanc respicientibus, & eo in seruitium versis, & Nendilin Vraba.*

Anno